

modo supplere possunt hanc frequentiam. Vide tit. cit.

XI. Ex occasione thematis : *Distribuit dis-cumbentibus, quantum colebant*, ostendi potest, quod multi, quoties volunt, ad communionem accedant, et tamen optatum fructum et saturitatem non reportent, idque contingat. 1° Ex defectu debite intentionis. 2° Ex defectu legitimæ dispositionis. 3° Ex defectu legitimæ collectionis; de quibus vide tit. Eucharistia.

XII. Ex eodem themate incitari possunt Auditores ad spirituale communionem frequenter peragendam, eumque in finem explicari. 1° Quid sit. 2° Quantos fructus afferat. 3° Quae privilegia habeat præ reali communione, scilicet, quod a vana gloria sit libera; quod brevis sit, atque ideo majori fervore peragi possit; quod sæpius in die repeti queat. Vide nos.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

I. *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium*, Ecl. in Hymno. Dici potest, S. Leonem serm. IX. de Quadrag. sic ordiri : « In omnibus, dilectissimi, solemnitatibus Christianis non ignoramus, Paschalem Sacramentum esse præcipuum, cui condigne, et congrue suscipiendi totius quidem nos temporis instituta reformant, sed doctrinam nostram præsentibus vel maxime dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ Sacramento scimus esse contiguos; ita ille, et per illum hodie Ecclesia. » Quia vero non omnes sciunt hunc modum, ideo in hac concione docebitur. Narretur ergo breviter, quod in Speculo Exmpl. V. Passio ex. 6. legitur de peregrino, transente die Veneris facto sylvam, et vidente omnes aviculas duabus aliis arbori adherentes velut mortuas, quæ tamen a transente in Paschate omnes lætæ, et hilares sint visæ. Simili ergo modo, dicat Concionator, omnes Christianos duabus aliis, id est, affectu, et effectu, arbori Crucis adherere debere, id est meditando assidue Passionem, varioque affectu eliciendo, et cum Christo libenter sufferendo tribulationes occurrentes. Vide tit. Passio Christi.

II. *Quis ex vobis argueret me de peccato?* JOANN. VIII. Ostendi potest, quis sit optimus modus se contra calumnias, et murmurationes hominum defendendi, scilicet, si quis in officioso ita se gerat, ut dicere possit : Quis

arguet me, etc. unde præcipuæ hæc verba usurpanda a pastoribus, iudicibus, concionatoribus, patribus familias, etc. Vide tit. Dilectio proximi, et tit. Exemplum.

III. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* JOANN. VIII. Ostendi possunt causæ, cur veritatem dicenti non credatur; nempe quia velut speculum exhibet turpitudinem, et quia a nobis concupiscentias nostras velut radices malorum eruere conatur; et tandem quia convincit nos ob crimina nostra. Declaretur ergo, quomodo ob has, et similes causas potius libenter veritatem dicenti credere Auditores debeant, ut remedium adhibere possint. Vide tit. Veritas.

IV. *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu?* JOANN. VIII. Potest vitium iudicii temerarii dissuaderi, et 1° Ostendi, quid sit, et quæ ejus indicia. 2° Quam commune sit vitium. 3° Quam noxium. 4° Quibus mediis cavendum; de quibus omnibus vide tit. Iudicium temerarium.

V. *Tulerunt ergo lapides in eum*. JOANN. VIII. Ostendi potest, quomodo et cur humana judicia spernenda sint, nimirum : 1° Quia impossibile est omnibus placere. 2° Quia vanum est ea timere, cum ob ea homo, nec melior, nec deterior sit. 3° Quia noxium est, ad ea attendere, cum omnia inordinata debeant facere, qui hæc judicia attendit, uti Polycletus Pictor ostendit, qui, cum imaginem a se eleganter pietam juxta cuiusque præferentis sensum correxisset, turpissimam fecit. Vide tit. cit. Judic. temer.

VI. *Ero similis vobis mendax*. JOAN. VIII. Potest natura, fœditas, et damna mendacii demonstrari, et unum, vel alterum medium ad illud devitandum proponi; de quo vide tit. Mendacium.

VII. Ex occasione thematis : *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem*, JOAN. VIII. Ostendi potest, cur Ecclesia nobis his diebus memoriam Passionis reficiat, videlicet : 1° Quia memoria hæc est Christo valde grata, uti non semel revelavit. 2° Quia est nobis valde utilis ad varias virtutes exercendas, præcipue patientiam in tribulationibus. 3° Quia illa gratitudinem pro beneficio Passionis exigit. Vide tit. Passio Christi; similique ostendi, quomodo hæc memoria reficienda sit, scilicet per affectuosam meditationem, per dolorosam compassionem, per ferventem gratiarum actionem.

VIII. Ex occasione thematis : *Ego non quero gloriam meam, est qui querat, ostendit*

datur 1° Quare vana gloria fugienda sit, nempe quia vana, falsa, noxia Deo et nobis est. 2° Quomodo, si nos eam fugiamus, Deus illum querat, faciendo, ut magis honorificemur a Deo et hominibus, uti ex vitis Sanctorum passim colligitur.

IX. Ex occasione thematis : *Ipsæ autem ascendit se*, ostendi potest, 1° quod et contra nos homines sæpe tollant lapides iudiciorum, detractionum, persecutionum. 2° Quomodo contra tales lapides defendere nos debeamus, scilicet scuto taciturnitatis, humilitatis et patientiæ; de quibus vide tit. eundem.

X. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quam grave sit vitium blasphemie, et quomodo magistratus, et quilibet audiens eos, lapides tollere, id est, corrigere, et punire debeat blasphemantes; de quo vide tit. Blasphemia.

XI. Ex occasione thematis : *Ero similis vobis mendax*, potest ostendi, quantopere mendacium hominem dedecet, sive consideretur ut filius Dei, sive ut Christianus, sive ut homo ad societatem natus, sive ut ingenuus, et liber, sive ut vir, de quo dicitur : *Ein Mann, ein Mann, ein Wort, ein Wort*; sive ut Germanus, cui propria creditur veracitas, quæ omnia facile deduci possunt.

XII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quinam sint mendaces occulti, id est, qui nolunt videri mendaces, et tamen sunt mendaces quam maxime. Nimirum : 1° falsi et tepidi Christiani, qui fidem habent sine operibus. 2° Falsi amici, qui amicitiam ore, inimicitiam opere proflentur. 3° Falsi Sacerdotes et Religiosi, qui habitu Clericum, factis sæcularem præ se ferunt. 4° Hypocritæ, qui exterius sanctitatem, intus malitiam monstrant; quæ omnia facile ex propriis titulis dilatarî et probari possunt.

PRO DOMINICA PALMARUM.

I. *Alii autem cedebant ramos de arboribus*. MATTH. XXI. Ostendi potest, quomodo Christo ad nos per communionem Paschalem introducendo cum palmis obviare debeamus, superando nempe difficultates, quæ in tribus partibus Sacramenti Pœnitentiæ obundis sentiuntur a plerisque : in contritione scilicet, confessione, et satisfactione, maxime si restituita faciendi, aut consuetudo deferenda sit; quæ de materia vide tit. Confessio.

II. Ex eodem themate ostendi potest, multos quidem comitari processionem Palmarum, palmam in manibus gestantes, sed optimam Deoque gratissimam, et ipsi portanti utilissimam palmam esse victoriam sui ipsius, maxime in illo vitio, quod adhuc maxime infestat; quæ omnia facile ex his, quæ tit. Mortificatio dicta sunt, probari possunt.

III. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. MATTH. XXI. Potest dici, quod Christus ideo hæc verba describi voluerit, ut nos quoque ad imitationem mansuetudinis in Passione, et tribulatione nostra incitaret, sicutque cuius proximo de nobis dici possit : *Ecce frater tuus venit tibi mansuetus*. Probetur ergo; quam perfecte Christus mansuetudinem in Passione sua docuerit, et quomodo quisque Christianus eum imitari debeat. Vide tit. Mansuetudo.

IV. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*. MATTH. XXI. Potest ostendi, quomodo Christus per communionem Paschalem introduci in anima debeat; scilicet cædendo ramos de arboribus, id est, vincendo nos in confessione seria præmittenda : sternendo vestimenta in via, id est, varias virtutes fidei, spei, charitatis, humilitatis, religionis exercendo, clamando Benedictus, qui venit, id est, in varias laudes Christi, et affectuosas petitiones erumpendo. Vide tit. Eucharistia.

V. *Hosanna Filio David*. MATTH. XXI. Potest instantia mundi ostendi, quod hodie Christum tam solemniter introducunt in urbem, et paulo post tam ignominiose educant in mortem. Demonstraret ergo hoc idem omnibus mundi amatoribus fieri, idque ex his, quæ tit. Mundus dicta sunt, probari.

VI. *Adduxerunt asinam, et pullum*. MATTH. XXI. Ostendi potest, cur Christus Jerusalem in gressus super asinam sedere voluerit, scilicet ut indicaret, neminem Jerusalem cœlestem ingressurum, nisi qui super asinam, id est, corpus suum sederet, illudque in camo et fræno per mortificationem constringeret, et ut asinum tractaret, illaque tria ab Ecclesiastico c. XXXIII. indicata : Cibaria, et virga, et onus asino, erga ipsum observaret. Ostendatur ergo, quomodo hæc in praxi observanda sint. Vide tit. Abstinentia, Mortificatio.

VII. Ex occasione thematis : *Alii autem cedebant ramos de arboribus*, MATTH. c. XXI. ostendi potest, quod optimi rami palmarum Christoque gratissimi sint concupiscentiæ,

et occasiones peccandi abscessæ, maxime concupiscentiæ carnis, oculorum et superbiæ, item malorum sciorum: ad quem finem varia media offerenda: de quo vide tit. cit.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod rami omnium gratissimi sint, qui de arbore Crucis absconduntur, id est, tribulationes patienter toleratæ, maxime dolores in corpore, contemptus in fama, et desolationes in anima occurrentes; de quibus vide tit. Patientia.

IX. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quomodo rami palmæ præcidi debeant in difficultatibus circa confessionem, communionem, et emendationem vitæ occurrentibus, quæ omnes facile consideranti occurrunt.

X. Ex occasione thematis: *Dominus his opus habet*, ostendi potest, quid Christus hac hebdomada exigat a nobis, scilicet: 1º Majorem collectionem, et dispositionem curarum secularium. 2º Majorem devotionem in templo, et precibus frequentandis. 3º Majorem mortificationem in poenitentia operibus suscipiendis. 4º Majorem compassionem in Christi cruciatibus considerandis, et fructuose sibi applicandis. Vide tit. Passio Christi. Item Fabrum conc. III.

XI. Ex occasione thematis: *Straverunt vestimenta sua in via*, ostendi potest, quomodo virtutes varias, quæ sunt ornamenta, et vestimenta animæ, substernere debeant Auditores, nempe fidem, spem, charitatem, humilitatem, obedientiam, et similes, quæ proin, quomodo tempore communionis exerceri possint, fusius ostendendum.

XII. Ex occasione thematis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, ostendi potest, quam multo tempore communionis dicant: *Benedictus*, qui venit in nomine Domini, et mox eum deserant. Ut 1º Hi, qui post Corpus Christi acceptum mox recedunt sine gratiarum actione, colloquio cum Christo. 2º Qui post Confessionem peractam mox ad antiqua vitia revertuntur. 3º Qui multa proposita, et ferventia desideria emendationis concipiunt, et statim iterum derelinquunt; quæ omnia facile præctice demonstrari possunt.

PRO FERIA V. CŒNÆ DOMINI,

ET DIE VENERIS SANCTO DE DOMINI PASSIONE.

I. *Christo igitur passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Potest Passio Christi Myrotheco spirituali comparari, et ostendi, quod varia mysteria sint quasi diversæ capsulæ præstantissimo balsamo referatæ ad varios afflictos homines, præsertim variis angoribus, contemptibus, morbis, indigentis, persecutionibus, timore mortis, angustias. Pro quo materia vide tit. Passio et in Instruct. 7. totam concionem.

II. *Accepto corpore Joseph, involvit illud sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo.* MATTH. XXVII. Potest ostendi, quomodo Auditores Christo sepulchrum longe gratius erigere queant, si cor suum Christo offerant, et in eo mysteria Passionis per continuam illorum recordationem expendant, et lumina variorum affectuum, puta doloris, compassionis, fiduciæ, amoris, gratitudinis, imitationis accendant. Unde occasio datur potiora mysteria explicandi, et actus inde elici solito enumerandi.

III. *Jam hyems transit, imber abiit et recessit flores, apparuerunt in terra nostra.* CANT. II. Potest ostendi 1º Quod hyems Passionis, et imber effusi sanguinis transierit, enumerando et exaggerando potiora mysteria Passionis, et varias sanguinis effusiones. 2º Ostendi potest, quod jam flores apparere debeant in terra nostra, id est, varii actus virtutum, ad quas Passio Christi specialiter nos excitat, elici, quorum aliquos c. tit. Passio indicatos videre est.

IV. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Ps. cxv. Potest magnitudo beneficii Redemptionis demonstrari, eumque in finem historia de Andreæ servo Romano spinam leoni eripiente, et ab hoc postea vicissim contra alios leones in Amphitheatro defenso, narrari; sique concio in duas partes dividi; in quarum prima ostendatur, quam acutam spinam peccati humanum genus per Adamum contraxerit, et quanto cum labore, et difficultate Christus per Passionem suam (cujus potiora mysteria recensentur) eandem extraxerit. In secunda parte ostendatur, quid vicissim humanum genus debeat Christo, et quomodo eum con-

tra peccata velut alios leones defendere, et in antro cordis ei habitationem concedere debeat; ubi pulehræ antitheses inter beneficium Christi, et obligationem hominis in occasione peccandi constituti fieri possunt. Vide cit. tit. Passio.

V. *Respice in testamentum tuum.* PSAL. LXXIII. Potest testamentum Christi in Cruce factum, sanguine suo subscriptum, et tribus clavibus velut sigillo munitum, aperiri, et quid cuivis forti hominum relinquet indicari, ubi tria præstanda erunt. 1º Certum mysterium proponendum, v. g. sudor in agonia effusus, et quam gravis illa afflictio fuerit, quamque adeo pretiosum sit donum, ostendendum. 2º Cur sorti hominum conveniat, et et quam apte ei relicta sit a Christo, demonstrandum erit. 3º Quomodo hoc donum a Christo relictum pro honore, et solatio Christi, et propria salute quis applicare debeat, indicandum erit; pro quo vide iterum cit. tit. Passio, et Instruct. 7.

VI. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* PHIL. II. Potest dici, quod vere S. Aug. tr. 149. In Joan. dixerit: «Crux Christi non tantum est lectulum morientis, sed etiam Cathedra docentis:» nunquam enim perfectus virtutes, quam in Cruce, docuit, præsertim humilitatem, obedientiam et patientiam, quæ proin tres virtutes fusius explicentur, ostendendo, 1º in quo consistat. 2º Quam perfecte Christus eas docuerit. 3º Quomodo eas imitari debeamus, et quem fructum inde reportaturi simus. Vide tit. Humilitas, Obedientia, Patientia, et tit. Passio.

VII. Ex occasione thematis: *Cœpit lavare pedes discipulorum.* Jo. XIII. Possunt causæ hujus lotionis explicari, nimirum: 1º Ut ostenderet, animam prius per confessionem, aut contritionem lavandam, quam corpus Christi sumatur. 2º Ut exemplum humilitatis relinqueret. 3º Ut insinaret, se sanguine suo peccata nostra ablaturum; quæ omnia fusius explicata vide apud Fabrum conc. I. et passim in libris Meditationum, unde et sequentia themata nonnisi breviter indicabuntur.

VIII. Ex occasione thematis: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, possunt ostendi causæ institutionis; videlicet: 1º Ut esset memoriale Passionis. 2º Juge sacrificium. 3º Pinguis convivium; de quibus vide Fabr. concion. II.

IX. Ex eodem themate possunt explicari circumstantiæ Institutionis et singularum rationes afferri, videlicet: 1º Cur sub duplici specie panis et vini instituerit. 2º Cur pridie quam pateretur. 3º Cur post Agni Paschalis comestionem. 4º Cur nocturno tempore. 5º Cur in cœna. 6º Cur in cœnaculo grandi, et strato. 7º Cur tali ritu, panem in manus sumendo, gratias agendo, benedicendo, frangendo, dando discipulis, etc. 8º Cur sub tali verborum formula. Quæ omnia explicata vide apud Fab. conc. II. et IV.

X. Ex eodem themate explicari possunt primaria attributa, quæ elucet in hoc Sacramento, nimirum potentia, sapientia, bonitas, misericordia, et justitia; de quibus vide Fabrum conc. V.

XI. Ex eodem themate explicari possunt primaria virtutes, quas in Eucharistia instituenda Christus ostendit, nimirum: 1º Charitas. 2º Religio. 3º Humilitas. 4º Obedientia. 5º Patientia. 6º Constantia. 7º Fides; quæ passim apud auctores in meditationibus explicantur.

XII. Ex occasione thematis: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ergo feci vobis, ita et vos faciatis*, ostendi potest, quod eodem ritu, quæ Christus typicum Agnum Paschalem sumpsit, Agnum verum seu Corpus Christi sumere debeamus, videlicet: 1º Accineti renibus per continentiam. 2º Calceat per contemptum mundi. 3º Tenentes baculos pro spem, et fiduciam. 4º Festinantes per ardens desiderium. 5º Integre per consumptionem physicam, et morale specierum, eas in suum convertendo. Vide Fabrum conc. VI.

PRO FERIA VI. PARASCEVES.

I. Ex occasione thematis: *Plangent eum planctu magno, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum.* ZACH. cap. XII. potest narrari historia de nobili Angelo, qui cum Saraceno in die Parasceves per sylvam transiens omnes aviculas expensis alis arbori ad modum crucis adherentes vidit; simulque ostendi, quomodo Christiani nunc pariter duabus alis affectus gratitudinis, fiduciæ, contritionis, amoris, etc. et effectus, multa pro et cum ipso sustinendo, et abstinendo adherere debeant; quem conceptum vide in Instruct. 7.

II. Ex occasione thematis: *Per multas*

tribulationes oportet introire in regnum Dei, Act. xxv. ostendi potest, quod, cum periculosa itinera suscipientes comites fideles adseiscant, Auditores, comites tres Christi; ut P. Baltasar Alvarez Societatis Jesu Sacerdos vocabat) indignitiam, dolorem, et contemptum eligere debeant, id quod in exemplo Christi monstrandum. Vide. cit. Instr.

III. Ex occasione thematis: *Duxerunt eum, ut crucifigerent*, MATTH. c. xxvii. potest spiritualis processio institui ad quinque loca precipua Passionis, videlicet 1^o Ad montem Oliveti. 2^o Ad locum flagellationis. 3^o Ad locum coronationis. 4^o Ad locum bajulationis Crucis. Ad montem Calvariae, et in singulis brevis exhortatio haberi.

IV. Ex eodem themate potest spiritualis processio, ut in die Parasceves fieri solet, institui, et 1^o Crux praeferi, per cujus aspectum animetur eam sequentes. 2^o Turba flagellantium sequi, qui inordinatum amorem velut sanguinem flagellis spiritualibus expellant. 3^o Subsequi turba crucigerorum crucem suarum tribulationum portantium. 4^o Agmen claudere turbae expansis brachiis orantium; quae omnia facile fusius deduci possunt.

V. Ex occasione thematis: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor similis dolori meo*. THOM. I. Potest tragedia spectanda exhiberi, in quo quinque actus constituent quinque precipua mysteria Passionis, videlicet agonia, flagellatio, coronatio, Crucis bajulatio, crucifixio; et spectatores ad varios affectus eliciendos incitari.

VI. Ex occasione thematis: *Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*, LUC. c. xxii. possunt omnes Sanguinis Christi effusiones proponi, et per eas Auditores ad odio habendum, et persequendum peccatum incitari, sicut elephantis sanguine conspecto ad furorem concitari solent. Possunt autem singulis effusionibus singula peccata mortalia opponi.

PRO RESURRECTIONE DOMINI.

I. *Surrexit non est hic*. MARC. xvi. Persuaderi potest, ut Auditores cum Christo resurgere student; ideoque in prima parte ostendatur, in quo consistat vere resurrectio, scilicet in eo, quod anima iterum cor-

pore uniatur, et non amplius dissolvatur; sic ergo resurrectio spiritualis consistit in hoc, quod homo iterum Deo conciliatur, et haec unio non amplius dissolvatur. 2^o Quomodo haec resurrectio obtineri debeat, scilicet per gratiam Dei, et propriam virtutem seu cooperationem, quae omnia facile ex iis, quo tit. Poenitentia, et tit. Resurrectio dicuntur, amplificari possunt.

II. Ex eodem themate ostendi potest, ex quibus indicibus colligi possit, quod aliquis vere cum Christo resurrexerit, nempe ex eo, quod quis quatuor dotes corporis gloriosi in anima spiritualiter possideat. Et 1^o Sit subtilis in difficultatibus omnibus, quae velut firmus murus emendationem impediunt, perrumpendis. 2^o Sit agilis ad omnia, quae sive ad cultum Dei, sive ad salutem propriam, charitatemque proximo exhibendam pertinent. 3^o Sit clarus claritate boni exempli domesticis, et vicinis praebendi, in iis praecipue occasionibus, et materiis, in quibus scandalum praebuerat. 4^o Sit impassibilis in iis occasionibus, in quibus se hactenus iracundum, aut impatientem ostenderat. In quem finem non parum conducit exemplum juvenis, qui, cum eidem ex terris peregrinis redeunti mulier impudica, cum qua prius fedum commercium habuerat, occurreret, dicetque: « Ego sum illa, etc. non me nosti? » respondit: « Est ego, non sum amplius ille. » Vide tit. Poenitentia, et tit. Exemplum.

III. Ex eodem themate potest mundi vanitas ostendi, et pro fabella Paschali narrari, quod quidam Sacristano coniugit, qui, cum pecunias suas in sacario, ubi scripta erant haec verba: Hic jacet Christus sepultus: recondidisset, paulo post ablatas esse deprehendit, et hanc subscriptionem, priore deleta, substitutam: Surrexit, non est hic. Ostendatur ergo per sententias S. Scripturae, SS. PP. et exempla tum honorum, tum voluptatum, tum divitiarum materialium vanitas, et ad spirituales honores, voluptates, et divitias quaerendas excitentur Auditores. Vide tit. Divitiae, Honor, Voluptas.

IV. *Quis revolvat nobis lapidem?* MARC. xvi. Dici potest hoc esse potissimum fere impedimentum, quo homines impediuntur ab emendatione vitae, quod difficultatem in ea intervenientem horreant; hinc lib. de imitatione Christi c. xxv. ait: Unum est, quod multos a profectu, et ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis, seu labor certaminis. Ostendatur ergo, quae media ad hanc emenda-

tionem adhibere debeant, scilicet magnum desiderium emendationis concipiendi, gratiam divinam per orationem crebro petendo, et tandem serio cooperando, et vim sibi in iis, quae maxime infestant, vitis inferendo, et tamque in finem varias personas, quae a tali vitio facile abstinent imaginando, et quasi insultando sibi ipsi dicere: Potuerunt istae, et tu non poteris? Vide cit. tit. Poenitentia, et tit. Consuetudo.

V. *Ibi eum videbitis*. MARC. xix. Potest ostendi, cur Christus tam variis personis post Resurrectionem suam apparuerit, nimirum ut non ipse solus gaudium Resurrectionis participaret, sed etiam illis communicaret. Simili ergo modo et eos, qui spiritualiter cum ipso resurrexerunt apparere variis personis debere: Matri suae Ecclesiae tanquam gloriose resurgentes. Domesticis in species hortulani, qui zizania evellat, et virtutum flores producat. Amicis et vicinis per modum pacem apprecantibus. Afflictis per modum hospitii favum mellis, id est consolationem, porrigentibus. Ignorantibus per modum peregrini socios in Emmaus euntes instruuntibus. In Purgatorio constitutis per modum Redemptionis; quae omnia facile ulterius amplificari possunt. Vide tit. Poenitentia, et Zelus.

VI. *Precedet vos in Galileam*. MARC. xvi. Ostendi potest quis sit optimus modus proximum ad frugem, seu vitiorum fugam, et virtutum amorem trahendi, nempe per exemplum. Deum vero pariter demonstrari potest, quomodo hic modus ab iis, qui subditos habent, usurpari practice debeat. Vide tit. Exemplum.

VII. Ex occasione thematis: *Surrexit, non est hic*, MARC. xvi. ostendi potest, quomodo cum Christo vere resurgendum, scilicet: 1^o vere et non simulate vitam priorem de-testando. 2^o Apparendo Simoni seu Sacerdoti per legitimam confessionem. 3^o Sumendo cibum Eucharistiae per communionem, sicque probandose vere surrexisse. Vide Fabrum in Dom. Resurr. n. 1.

VIII. Ex eodem themate potest triplex resurrectio proponi. 1^o Phantastica, qualis fuit Samuelis a Pythonissa excitati. 2^o Imperfecta seu hominis denuo morituri, qualis fuit Lazari. 3^o Perfecta, et perpetua, qualis fuit Christi, qui non moritur amplius; quae omnes tres resurrectiones in sensu morali explicari possunt. Vide tit. Resurrectio.

IX. Ex occasione thematis: *Nolite expavescere*, ostendi potest, cur non timere debea-

mus, sed potius gaudere in hoc Festo juxta sensum Ecclesiae dicentis: Haec dies, quam fecit Dominus, exullemus, et laetemur in ea. 1^o Quia victoria generalis de triplici hoste, mundo, Dæmone, ac carne, reportata. 2^o Quia devicta peccata, et velut Phario cum exercitu suo in mari rubro demersa. 3^o Quia mors quoque superata, juxta illud: O mors, ubi est victoria tua? Cor. xv. quae fusius explicata vide apud Fabrum conc. i.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur hoc tempore assiduo ab Ecclesia Alleluia cantetur? Nimirum quia idem significat, ac *Laudate Deum*, propter beneficium Redemptionis, propter gaudium Resurrectionis, propter favorem multiplicis apparitionis. Quae beneficia paulo amplius demonstrari possunt, de quo vide Fabr. concion. vi.

XI. Ex occasione thematis: *Qui revolvat nobis lapidem?* possunt tres lapides a vera resurrectione impediendos indicari, de quibus Thomas Kemp. l. III. c. xii. ait: Obistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur: remurmurabit caro, sed fervore spiritus fraenabitur: instigabit et exacerbat te serpens antiquus, sed oratione fugabitur: insuper et labore utili aditus ei magnus obstruetur. Vide tit. Consuetudo, et Zelus.

XII. Ex occasione thematis: *Surrexi, non est hic*, ostendi potest, cur Christus primo B. Virgini, dein mulieribus, Magdalena apparuerit, et ubique salutare doctrinae erudenda; quales videlicet possunt apud Fabrum conc. xvi. n. 6. et 7. Item conc. ix. n. 3. lit. D.

PRO FERIA II. PASCHATIS.

I. *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem?* LUC. xxiv. Potest ostendi 1^o Quam cauti esse debeant homines in loquendo ab gravi damna, quae ex lingua male custodita sequuntur; simulque ostendi optimum esse medium ad hanc cautelam adhibendam, si Christum omnia audientem, et quaerentem: Qui sunt hi sermones, etc. imaginemur; si enim praesentia S. Bernardini tantum valuit ut dicerent socii turpia loquentes: « Tacete, Bernardinus venit: » quanto magis Christi aut Dei praesentia idem efficiet? Vide tit. Lingua.

II. *Duo ex discipulis Jesu ipsa die ibant in castellum nomine Emmaus*. LUC. xxiv. Dici potest, communem quidem esse consuetudi-

nem, quod hac die ambulant aliquid templum vel prædium, et dicant, se in Emmaus ire vellet; quam consuetudinem utpote per se non malam facile tolerari posse, sed quod multi spiritualiter statim post communionem Paschalem eant iterum in Emmaus, id est, ad populum abjectum, ad malos socios, et socios, hoc merito tolerandum non videri; ideo ostendendum, quantopere detestandus sit relapsus, et quæ media adhibenda. Vide tit. Peccatum. Vide Relapsus.

III. *Tu solus peregrinus es?* Luc. xxiv. Ostendi potest, quam vere omnes homines peregrini sint, et salutares inde doctrinæ eruedæ, maxime ut solum necessario victus et vestitu sit contenti: non eurent multum de locis, aut personis, quo transent: cum omnibus pacifice agant; patienter ferant molestia itineris; nihil emunt, aut procurant, quod secum ferre non possunt: patriam semper ob oculos habeant, ejusque desiderio se solentur. Vide tit. Opera bona, et Fabrum conc. n.

IV. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Luc. xxiv. Ostendi possunt fructus presentie Dei cogitata, quod scilicet: 1° Faciat ardentem in observatione mandatorum Dei, juxta illud Senecæ: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturi testis assistat. 2° Ardentes in oratione. 3° Ardentes in operatione, nam oculus Domini saginat equum. 4° Ardentes in tribulatione patienter ferenda, uti S. Stephanus expertus est. Vide tit. Presentia Dei.

V. *Et aperti sunt oculi eorum.* Luc. xxiv. Explicari possunt cause, cur multi ex communionem nihil proficiant, scilicet ob defectum legitime intentionis, dispositionis, devotionis, collectionis post communionem, de quibus vide tit. Eucharistia, et Fabrum conc. n.

VI. *Ipse se finxit longius ire.* Luc. xxiv. Ostendendum, quomodo et nunc Christus fingat se longius ire. 1° Tempore necessitatis quoad temporalia. 2° Tempore morborum, quando non habentur, vel nihil proficiunt remedia. 3° Tempore ariditatis et desolationis in oratione. 4° Tempore tentationis, 5° Tempore persecutionis. Demonstratur pariter, quomodo in his occasionebus se gerere, et ad Christum clamare, et cogere debeant dicentes: Mane nobiscum Domine, etc. Vid. tit. Oratio, et tit. Tentatio, et Crux.

VII. Ex occasione thematis: *Duo ex Discipulis ibant in castellum nomine Emmaus.* Luc. xxiv. Potest ostendi, qui Christiani in

Emmaus oder Nehenauus ire soleant, videlicet. 1° Qui exiguum ad Deum fiduciam habent. 2° Qui beatitudinem in hac vitâ obtineri posse putant. 3° Qui sine potentia cœlum intrare volunt. 4° Qui confessione, et communione Paschali se subducunt. De quibus vide Fabrum in Sylva nova them. 4.

VIII. Ex occasione thematis: *Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem,* ostendi possunt cause, cur multi post communionem Paschalem ad antiqua vitia redeant. Nimirum: 1° Temeritas, et præsumptio in occasionebus peccati iterum frequentandis. 2° Defectus serii propositi. 3° Præsumptio; pro quibus proin idonea remedia præscribantur, qualia in Fabro conc. 4. videri possunt.

IX. Ex occasione thematis: *O stulti et tardi corde ad credendum,* potest ostendi modus corrigendi proximum. Nimirum: 1° Ut sit privata. 2° Ut sit suavis. 3° Ut sit effiçax; de quibus vide tit. Dilectio proximi.

X. Ex occasione thematis: *Finxit se longius ire,* potest dici, esse antiquum morem, ut fabula Paschalis hoc tempore narretur, itaque, et hunc morem nunc servatum iri. Narretur itaque fabulam de lupo, quia a rustico in furto deprehensus promisit, se deinceps non ultra septem obolorum pretium furaturum; sed paulo post occurrente vacca cum vitulo, sibi persuasit, vaccam non nisi quatuor, vitulum vero trium obolorum pretium æquare, ac proin utrumque devoravit. Ex qua deducatur, quomodo peccatores promissa sua secus interpretantes antiqua peccata repellant, uti variis instantiis ostendi potest. Vide Inst. 2.

XI. Ex occasione ejusdem thematis narrari potest fabula de duobus musculis, urbano, et villano, quorum prior, cum villanum visitans non nisi mucidum panem accepisset, eundem secum in arcam, et penuriam instructissimum perduxit; sed cum ibidem a fele insidiante fere deprehensi essent, valedixit villanus urbano, dixitque, male se mucido pane cum pace, quam deliciis urbani cum perpetuo timore frui. Ex qua fabella inferatur, quam vere dixerit Salomon: Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena jurgii; atque adeo vita privata præ alicia aut deliciis, et opibus abundante sit amanda. Vide Ibid.

XII. Ex occasione ejusdem thematis narretur fabula de sartore Jove accusante, quod reos non puniendo male ageret, unde a Jove in cœlum evocatus, et in throno collocatus,

jussus est ostendere modum bene regendi; cum ergo puerum in horto ponum furantem vidisset, magno furore suppedaneum scabellum ipsum projecit. Quod cum vidisset Jupiter, accessit ad illum, dixitque: « En, o sartor nequissime, quam male mundum regeres; si enim ego in te tuique similes toties scabellum meum projicere voluissem, ubi seriniarios sufficientes pro scabellis fabricandis acquirere potuissem? » Inferatur ex hac fabella, quam patienter mutuos defectus sufferre debeamus, memores, quod iisdem defectibus, et pluribus ipsi subjaceamus.

PRO FERIA III. PASCHATHIS.

I. Ex occasione thematis: *Habetis hic aliquid, quod manducetur?* Possunt ova Paschalia distribui, et 1° Quidem Clericis deauratum, in quo Christus in specie hortulani depictus est, sicut S. Magdalene apparuit. 2° Magistratui rubrum, in quo vigiles sepulchrum custodientes depicti sunt. 3° Patribus familiæ cœruleum, in quo Christus in Galilæam præcedens representatur. 4° Mulieribus violaceum, in quo representatur mulieres ad sepulchrum euntes. 5° Juvenibus partim album, partim rubrum, quod Angelum in sepulchro sedentem exhibeat; quæ omnia quid moraliter significant, fuis ostendatur, uti fit instr.

II. Ex eodem themate unicum ovum offeratur, illud nempe, quod vicinus quidam vicino suo male rem familiarem administranti obtulit ea conditione, ut singulis diebus in singulas domus partes portaret, quod faciendi, cum omnia sibi melius succedere advertisset, tandem aperiens invenit hanc schedam: *Wilst dass dir dein Sach wohl-geling? sachau all Tag fleissig zu dein Ding.* Unde deoatur, quomodo animam inspicere debeamus, tempore examinis, confessionis, et annuæ recollectionis, aut quomodo frumentum honorum operum, penuriam talentorum, passionum velut pecorum cura, vitium conscientie bonæ, laboratorum quotidianorum laborum se habeat; quæ fuis vide in cit. Inst. 53.

III. Ex occasione thematis: *Pax vobis,* ostendatur, qualis pax optetur a Concionatore Auditores, nimirum: 1° Sibi ipsi inter animam, et conscientiam. 2° Conjugibus inter se. 3° Domesticis, liberis, et famulis. 4° Pax in

civitate, et provincia; de quo vide Fabrum in Sylva them. 5.

IV. Ex occasione thematis: *Pax vobis,* potest explicari, in quo consistat vera pax animi, ejusque necessitas, utilitas, et jucunditas demonstrari; de quo vide tit. Pax.

V. Ex eodem themate possunt quatuor impedimenta pacis interioris demonstrari, videlicet: 1° Culpa mordens. 2° Cura pungens. 3° Affectus vigenis. 4° Tribulatio crucians, et pro singulis salutaria remedia afferri. Vide tit. Pax.

VI. Ex occasione thematis: *Ego sum, nolite timere,* indicari possunt cause, cur quis presente Christo timere non debeat, quia videlicet est prudentior, fidelior, potentior quocumque exercitu humano, et Angelico. Hinc merito cum S. Davide dicere potest: Si consistant adversum me castra, non timebo, quoniam tu mecum es. Vide tit. cit. Pax.

PRO DOMINICA IN ALBIS.

I. *Venit Jesus, et stetit in medio.* Jo. xx. Ostendi potest, quod felices quidem iudicati sint Apostoli, quod Jesum in medio stantem videre meruerint; sed multo feliciores nos sumus, qui non semel, sed semper eum in medio habere possumus, nempe si eum habeamus semper in memoria presentem, cogitando; in intellectu, credendo, quod omnia in eo habeamus; in voluntate, ex corde toto diligendo. Demonstratur dein, quos fructus ex ipsius presentia habitori simus, nempe habendo spectatorem, adiutorem, et consolatorem maximum, et optatissimum. Vide tit. Christus.

II. *Pax vobis.* Jo. xx. Potest persuaderi pax, et concordia cum proximo, et 1° Ostendi, in quo consistat, nempe ut idem sentiamus, et velimus, juxta exemplum primorum Christianorum, quorum erat cor unum, et anima una. 2° Quanti fructus sperari possint ex hac pace, scilicet, illi, qui iudicantur per commune proverbium: Concordia res parvæ crescent: in temporalibus bonis, ut Scilurus Rex filiis indicavit; de quo vide tit. Pax: in virtutibus, et meritis; ut enim nunquam homines magis ditescent, quam tempore pacis; ita et in spiritualibus: in letitia animi, juxta illud Ps. cxxvii. Ecce quam bonum, etc. Vide tit. cit. Pax.

III. *Dixit ergo eis iterum, pax vobis.* Jo. xx.

Quæri potest, cur Christus his pacem precatus sit, et responderi, quod indicare voluerit, non satis esse, ut pacem cum aliis habeamus, sed etiam nobiscum ipsi habere, cum charitas a seipso incipiat, et frustra quis uniuersum mundum laeuret, si animæ suæ detrimentum faciat. Ostendatur ergo 1º In quo pax ista consistat, scilicet in bona, et tranquilla conscientia: seu in devotando malo, et faciendo bono, juxta I. Petri. III. et Ps. XXXIII. Ostendatur. 2º Fructus hujus pacis, quod scilicet hoc sit Regnum Dei, quod si quaeramus, omnia adjicientur. Item gaudium perpetuum juxta illud Ps. LV. Secura mens, etc. et S. Pauli, Phil. IV. Pax Dei, quæ exsuperat, etc. Vide tit. Pax et tit. Conscientia.

IV. Pax vobis. Jo. XX. Potest dici, recte dixisse Thomam Kemp. I. III. c. XXVI. Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes erant. Ostendatur ergo ex eodem capite, et maxime ex c. XXIII. quid requiratur: et illa quatuor, quæ magnam pacem important, fusiùs explicentur. Vide itam tit. Pax, et tit. Resignatio.

V. Ex eodem themate dici potest, mirari quidem nonnullis, cur homines tam parum pacifici, et concordēs sint, cum tamen cætera animalia pleraque tam pacifica sint; verum causam in promptu esse, quia radicem discordiarum nunquam euellunt. Unde dicatur 1º Quænam sit hæc radix, ex Seneca tit. Pax. 2º Ostendatur, quomodo hæc radix auferri possit per tria media in eodem titulo indicata.

VI. Ostendit eis latus, et manus. Jo. XX. Ostendi potest, cur Christus sua quinque vulnera retinere voluerit, nempe ut essent nobis quinque asyla, 1º Contra iratum Deum ob nostra peccata. 2º Contra tentantes Dæmones. 3º Contre persequentes homines. 4º Contra cruciantes morbos, aliasque tribulationes. 5º Contra mortem instantem. Ostendatur ergo, quomodo in his omnibus confugere debeamus ad hæc vulnera, et quomodo reuera experturi simus id, quod S. Augustinus fassus est: « In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax medium, quam vulnera Salvatoris. » Vide Passio Christi. Fabrum hic c. III. et Vincentium Caraffam in Fasciculo Myrrhae.

VII. Ex occasione thematis: Pax vobis. Jo. XX. ostendi potest, quomodo pacem cum Deo habere possimus, videlicet per duo media a Davide indicata: Declina a malo, et

fac bonum, inquire pacem, et persequere eam. Vide Fabrum conc. I. lit. B.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo pacem cum proximo habere possimus, scilicet per mutuam dilectionem, per unam religionem, per mutuam subventionem, de quibus vide I. c. lit. G.

IX. Ex eodem themate probari potest, quomodo pacem nobiscum ipsis habere possimus, scilicet: 1º Eradicando concupiscentiam, juxta illud S. Jacobi: Unde lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris. 2º Tollendo nimias sollicitudines; de quibus Thomas Kempensis I. III. c. XXX. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super fristitiam habeas. 3º Conformando voluntatem suam cum divina: sic enim nihil contra voluntatem suam fiet. Vide tit. Resignatio et Concupiscentia.

X. Ex occasione thematis: Venit Jesus, et stetit in medio: ostendi 1º Potest, quomodo Dei presentia semper ob oculos haberi possit. 2º Fructus hujus presentie explicari possunt, scilicet puritas mentis in fugiendis peccatis, quorum, teste Seneca, pars magna tollitur, si peccaturis testis assistat: ardor ad pugnam cum hostibus, duce inspectante, collectio in oratione; quis enim aspiciens coram se Regem non attendat sedulo ad eum? Consolatio spiritualis; juxta illud Davidis: Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum. Hinc S. Ephrem dixit: Semper Dei memineras, et celum mens tua evadet. Vide Fabrum conc. VI.

XI. Ex occasione thematis: Infer digitum tuum huc, ostendi possunt cause, cur Christus quinque vulnera retinere voluerit, scilicet 1º Propter gloriam, et beneplacitum æterni Patris. 2º Propter gloriam suam. 3º Propter gaudium Beatorum. 4º Propter terrorem damnatorum. 5º Propter solatium, et auxilium viventium. Vide tit. Vulnera et Fabrum conc. III.

XII. Ex occasione thematis: Beati qui non viderunt et crediderunt, 1º ostendi potest, quid potissimum credi debeat, ut etiam in hac vita beati simus, scilicet ut Christus S. Catharinam Sennensem docuit, potentia Dei, sine qua nihil sit in mundo; sapientia illius, qua malum in bonum convertere novit: bonitas, qua omnia ad summum nostrum bonum ordinat. 2º Ostendat, quomodo qui credant ista, beati sint; quia semper habent, quod volunt. Vide tit. Resignatio.

PRO DOMINICA II. POST PASCHA.

I. Ego sum pastor bonus. JOAN. X. Potest ostendi, quam vere Christus dixerit: Ego sum pastor bonus. 1º Quia cognovit omnes oves suas. 2º Quia saluberrima pascha SS. Eucharistie, et verbi Dei ipsis providit. 3º Quia a lupo veniente, nempe Diabolo, fortiter eas defendit. 4º Quia animam suam pro illis per tot cruciatum posuit. Declaratur ergo in secunda parte, quomodo oves vicissim ipsam agnoscere, amare, vocem ejus audire, et vitam etiam oportet, pro ipso ponere debeant. Vide tit. Christus, et Passio.

II. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. JOAN. X. Ostendi possunt varii mercenarii, qui vident lupum venientem, et dimittunt oves, nempe: 1º Parochi, et alii animarum curatores, qui curam ovium non habent, nec Sacramenta debito modo administrant. 2º Magistratus, qui videt vitia grassantia, et non punit. 3º Patres familias, qui malas societates domesticorum non arcent. 4º Ludimagistri, qui ignorantiam, et otium non arcent a discipulis. 5º Domestici, qui non judicant excessus graves liberorum, aut conservorum: qui omnes proin, quam gravem olim rationem reddiderunt, fusiùs ostendi potest ex comparatione ovium, et animarum; premii seu mercedis a Deo et hominibus dari solite. Vide tit. Zelus, tit. Anima.

III. Lupus rapit, et dispergit oves. JOAN. X. Possunt mali socii lupis comparari, tum propter inimiziam, quam erga bonos velut oves gerunt, juxta illud Sap. c. II. Circumveniamus ergo justum, etc. tum propter raudes, quibus utuntur: tum denique propter mortem æternam, quam inferunt. Ostendatur ergo unum vel alterum medium, quo evitari possint. Vide tit. Societas.

IV. Fiet unum ovile, et unus Pastor. JOAN. X. Potest veritas Catholice Fidei demonstrari, et ostendi, quod vere Ecclesia Romana sit ovile Christi ob unitatem, sanctitatem, et universalitatem; et quod Romanus Pontifex sit verus Pastor hujus ovilis per continuam successionem deductus. Inferatur dein, quantum beneficium a Deo collatum sit Auditoribus, dum in hoc ovile sunt recepti: quanto opere proin Pastores suos revereri, et amare, eorumque vocem audire, et cum magna cha-

ritate et concordia in hoc ovili vivere debeant. Vide tit. Fides.

V. Vocem meam audient. JOAN. X. Potest ostendi, quod sit præcipuum signum ovium Christi, seu prædestinatorum, si vocem Pastoris libenter audiant; simulque probeatur triplici modo. Pastorem Christum loqui, 1º Per occultas inspirationes, et vocationem ad statum; cui proin respondendum. 2º Per Concionatores, quorum proin vox cum omni reverentia, et submissione excipienda, et implenda. 3º Per superiores, quibus proin obediendum perfectissime. Quod autem hæc auditio triplicis vocis sit unum ex certioribus signis prædestinationis, probari potest ex iis, quæ de Obedientia tit. 103. et Verbum Dei tit. 145. dicta sunt.

VI. Cognosco oves meas. Jo. XX. Potest occasio sumi mansuetudinis commendandæ, utpote quæ est genuina proprietas ovium; et 1º Ostendi, in quo consistat mansuetudo Christiana, de quo vide tit. Mansuetudo. 2º Quos frutus afferat, nempe a Christo MATTH. V. indicatos: dum dixit; Beati mites, quoniam possidebunt terram, quantuplicem scilicet; quam vide I. c. indicatam.

VII. Ex occasione thematis: Cognosco oves meas, Jo. XX. ostendi potest, ex quibus indicis veræ oves Christi, seu prædestinati ad vitam æternam cognosci queant videlicet: 1º Ex mansuetudine. 2º Ex patientia. 3º Ex misericordia. 4º Ex humilitate. De quibus vide Fabrum conc. IX. lit. B. C. D. K. et Auct. them. 3.

VIII. Ex eodem themate possunt alia indicia verarum ovium proponi, nimirum: 1º Timor peccati. 2º Fuga luporum, id est malorum sociorum. 3º Sacramentorum pius et frequens usus, velut proprius ovium Christi. 4º Concordia 5º Obedientia. Quia omnia si nimis multa videantur pro una concione, potest unum tantum, aut alterum, maxime ex tribus ultimis, assumi, et dilatarı. Vide Fabrum locis cit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest ex ipsis Christi verbis, quæ conditiones ad veram ovem requirantur: nam 1º Ex illis verbis: Cognoscent me meæ; deducitur, fidem, per quam Christus agnoscitur, esse necessariam. 2º Ex verbis: Vocem Pastoris audiant, et sequuntur eum; obedientia Pastoribus exhibenda colligitur. 3º Ex verbis: Alicuium non sequuntur, sed fugiunt, fuga Hæreticorum et Diaboli colligitur; de quibus vide Fabrum concion. 8. lit. D.

X. Ex eodem themate deduci potest, quoniam non sint vere oves, seu hœdi: nimirum: 1^o Qui facile transiliunt mandata, ut hœdi septa, nocentque tenellis arboribus. 2^o Qui pilos habent versus terram pendentes, ut hœdi, id est, non nisi terrena sapiunt. 3^o Qui propter mala exempla graviter fœtent, ut hœdi. 4^o Qui per inimicitias proni sunt ad arietandum, ut hœdi. Vide Fabrum conc. vii.

XI. Ex occasione thematis: *Ego sum pastor bonus*, ostendi potest, quomodo quisque Pastor sui ipsius esse debeat. 1^o Dominando affectibus, sensibus, et membris. 2^o Seipsum et suos defectus cognoscendo. 3^o Ad bona pascuca educendo. 4^o Vires suas custodiendo. 5^o Pro iisdem pugnando. Vide Fabrum.

XII. Ex occasione thematis: *Fiet unum ovile, et unus Pastor*, demonstrat veritas nostræ fidei ex eo, quod habeant 1^o Unum ovile, scilicet Ecclesiam. 2^o Unum Pastorem, scilicet Pontificem. 3^o Unum pascuum, scilicet Sacramentorum, et verbi divini, tam traditi quam scripti, usum. Vide Fabrum conc. viii. littera. G. et H.

PRO DOMINICA III. POST PASCHA.

I. *Modicum, et non videbitis me.* JOAN. XVI. Potest vanitas rerum mundanarum ostendi, præcipue honorum, divitiarum, et voluptatum; quam vere de iis dici possit: Modicum, et non videbitis, et cum Jonathâ Saulis filio 1. REG. XIV. Gustans gustavi paululum mellis, et ecce morior. Ex altera vero parte ostendatur, quam longa et acerba sit mors, aut tormenta, quæ per hoc modicum eminent: quamque adeo vere dictum sit: Modicum, quod delectat; æternum, quod cruciat: Vide tit. Voluptas, Honor, Divitiæ, Æternitas. Item Thom. Kemp. l. III. c. XII.

II. Ex eodem themate potest brevitatis vitæ, et mortis incertitudo demonstrari, et inde excitari Auditores ad dignam præparationem pro morte quovis momento subeunda instituendam. Vide tit. Mors, et Thomam Kemp. l. I. c. XXXI. aut si placet, hortare ad divitiâs, et opes pro altera potius vitâ, ubi æternum manendum, quam pro hac, ubi tantum per modum viatoris transcendendum congregandas.

III. Ex eodem themate possunt Auditores excitari ad tribulationes fortiter ferendas, et ostendi, quam sint modicum comparatæ cum

æternitate felicissima, quam per eandem comparamus, juxta illud Sancti PAULI II. COR. IV. Quod in præsentî momentaneum, etc. et existimo, quod non sunt condigne, etc. Quamque adeo verum sit axioma: Momentaneum, quod cruciat, æternum, quod delectat. Vide tit. Patientia. tit. Crux. tit. Æternitas.

IV. Ex eodem themate potest probari, quod vitâ nostrâ comœdia sit, hic mundus theatrum, Deus, Angeli, et homines spectatores, juxta illud S. PAULI I. COR. IV. Spectaculum facti, etc. Unde excitari possunt Auditores: 1^o Ut non current, quam personam habeant, cum Deus tanquam comicus sciat, quæ cuique convenientissima sit. 2^o Ut conentur personam bene agere, nec in ea ad exemplum hominum, sed Christi instructoris attendant. 3^o Ut præmium non ab hominibus, sed a Deo expectent, cui placere plus optandum est, quam si quis omnibus hominibus placeret. Vide tit. Intentio.

V. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* JO. XVI. Ostendi potest, in quo verum gaudium consistat, nimirum in fine suo, ad quem creatus est, possidendo, seu amore juxta illud S. AUGUSTINI: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Ostendatur ergo 1^o Quod gaudium verum a nulla creatura haberi possit, quia cum cor triangulare sit, non potest illud mundi globus implere. 2^o Ostendatur, quomodo in Deo solo verum gaudium reperitur. Vide tit. Gaudium, et Thom. Kemp. l. III. c. XVI.

VI. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* JO. XVI. Potest ostendi diversus status eorum, qui mundo, et eorum, qui Deo serviunt, id quod potissimum ex fine, et exitu vitæ utrorumque demonstrandum; ut appositè nonnulli per gallinam et falcionem declararunt ut enim hic, dum vivit, optimum cibum, et cor prædæ accipit, et in manibus portatur, post mortem vero infimum abjicitur: gallinam vero in vivis in fimeto grana, et victum colligere debet; post mortem vero mundatur, coquitur, argenteæ patinæ imponitur, mensæ Principis inferitur, et illius stomacho sepelitur; ita similis est exitus et status servorum mundi et Christi. Vide tit. Mundus, et tit. Deus.

VII. Ex occasione thematis: *Modicum et non videbitis me.* JO. XVI. potest ostendi, quam omnia sint, in mundo modica. 1^o Digni

tates, et honores. 2^o Robur, et pulchritudo corporis. 3^o Divitiæ et voluptates. 4^o Favor et gratia hominum. 5^o Regimen, et imperium. Vide Fabrum conc. I.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, modicum temporis quam studiosè observandum. 1^o Quia maxima per illud bona obtinere possumus. 2^o Quia gravissima per illud damna incurrimus. 3^o Quia severissimam de illo rationem Deo reddere cogemur. Vide Fabrum concion. I. littera B. G. H.

IX. Ex eodem themate potest duplex memoria eternitatis, misere et felicis, pro virothico spirituali (*fur ein Balsam Euchlein*) offerri, simulque ostendi, quomodo per illud abstinendo ab illicitis voluptatibus, et tolerando temporales adversitates roborare, et solari debeamus. Vide tit. Æternitas, Beatitudo, Infernus.

X. Ex eodem themate ostendi potest vitæ nostræ brevitatis, et inde tres doctrinæ erui. 1^o Ut non simus nimium solliciti de divitiis accumulandis, quia brevi itinere modicum viaticum est necessarium. 2^o Ut bonis operibus, quibus in æternum fruamur, accumulandis impense studeamus. 3^o Ut miseria hujus vitæ patienter, et alacriter sustineamus, utpote non nisi modico tempore duraturas.

XI. Ex occasione thematis: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, ostendi potest, quomodo solidum, ac verum gaudium in solo Deo ejusque amore inveniatur, eumque in finem referri potest, quod de Martyre quodam referitur, qui, cum inter tormenta se continuo letum ostenderet, causam hujus lætitiæ rogatus respondit: « Quia Deum meum tollere nemo potest. » Ostendatur proin, quid hoc gaudium sit. 1^o Solidum, et verum, utpote satians animam. 2^o Sit purum, quia nulli peccato immixtum. 3^o Sit perpetuum, quia contra voluntatem amitti non potest. Vide Fabrum conc. VI. lit. B.

XII. Ex eodem themate ostendi potest gaudium bonæ conscientie. 1^o Quia est testimonium gratiæ apud Deum inventæ. 2^o Quia spem certam felicitatis perpetuæ obtinendæ ingenerat. 3^o Quia tolli invito non potest. Vide tit. Conscientia, et Beatitudo.

PRO DOMINICA IV. POST PASCHA.

I. *Vado ad eum, qui misit me.* JO. XVI. Ostendi potest, quomodo quisvis hæc verba sibi

etiam occinere, et inde ad vitam rite instituendam excitari debeat. Dicitur ergo, quod quisvis homo ad hunc finem missus sit, ut Dominum Deum suum laudet, reveretur, amet, eique serviens salvus fiat: eum in finem omnes creaturas subjectas esse pedibus ejus, variæque talenta credita. Unde semper cogilandum; Vado ad eum, qui misit me, qui rationem severissimam exiget, quomodo finem meum sectatus, creaturis usus sim, talenta expenderit, etc. Vide tit. Judicium.

II. *Quo vadis.* JO. XVI. Dici potest, rectius hodie mirari quem posse, quod fere nemo seipsum sincere interroget, quo vadis, cum tamen in hoc tota fere salus vertatur. Ostendatur ergo 1^o Omnes ire ad domum æternitatis; ECCLES. C. XII. et tamen misere, vel beate; et ad hanc duplicem portam ducere, latam et angustam, quemlibet proin nunc cum Hercule in bivio stare. Ostendatur ergo, cur arctam portam potius, quam latam eligere debeant. Vide tit. Patientia, et tit. Crux.

III. *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* JO. XVI. Ostendi potest, cur merito ob Christum abuntem et a suo corde expulsus quisvis peccator tristari debeat; quem in finem Christum quia Deus fonti comparari poterit, et ostendi, quomodo in eo omnia bona recentius, abundantius, constantius reperiantur, quam adeo stultus peccator deserit hoc fonte ad ree creatas velut cisternas convertatur. Unde merito Deus per Jeremiam c. II. tam patheticis verbis queritur: Obstupescite, etc. Vide tit. Peccatum.

IV. *Expedit vobis, ut ego vadam.* JO. XVI. Ostendi potest, quod hoc ipsum etiam quibus de occasionibus, et societatibus malis dicere queat; expedit enim 1^o Ut vadant et discedant a nobis ad rerum temporalium augmentum. 2^o Ad anime salutem. 3^o Ad proximi edificationem, que omnia facile copiosius amplificari possunt, et pro coronide illa Christi sententia usurpari, JOAN. XVII. Si me queritis, sinite hos abire. Vide tit. Consuetudo, et Societas.

V. *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* JO. XVI. Ostendi potest in primis, quantopere Paracletus nobis sit necessarius ad instruendos, confortandos, et consolandos nos. 2^o Quod istum accipere non possumus, nisi omnibus rebus creatis valedecimus; nam, teste S. Gregorio, honorum auctori aliter inherere non possumus, nisi cupiditatem a nobis, quæ omnium malorum radix est, abs-

ciendum; hinc, ut S. Bernardus s. 3. de Ascens. ait, « Ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleti nequiverant, quia carni Dominicæ etsi sancta inhaerebant. » Vide tit. Concupiscentia.

VI. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato.* Jo. xvi. Ostendi potest, quomodo ii, qui aliorum curam gerunt, et Spiritu bono reguntur, gerere se erga illos debeant, et non solum consolari, et blande tractare, sed tiam arguere de peccato. Unde 1º Demonstratur, quam necessaria, atque adeo, et obligatoria sit hæc correctio. 2º Quomodo utiliter fieri possit, et debeat. Vide tit. Dilectio proximi.

VII. Ex occasione thematis: *Quo vadis?* ostendi potest, quomodo semper memoria mortis in mente sit habenda ob triplicem causam. 1º Ut mature disponamus domui nostræ præparando nos ad eam. 2º Ut moderemur cupiditatibus nostris, cogitantes, nos non habere hic manentem civitatem. 3º Ut facilius nobis illius adventum reddamus, uti Seneca suscipit dicens: « Efficere mortem tibi cogitatione familiarem, ita ut si sors tulerit, possis illi obviam ire. » Vide tit. Mors. Item Fabrum conc. I. n. lit. H.

VIII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quod frequenter etiam iudicii post mortem securi memoria sit habenda, ob tres pariter causas. 1º Ut iudicem nobis mature per grata illi opera conciliare studeamus. 2º Ut ad questiones ibi proponendas mature nos præparemus. 3º Ut Patronos, qui ibi nobis assistant, variis obsequiis conciliemus. Vide tit. Iudicium.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod similiter ob tres causas memoria Purgatorii saepe sit refrendenda. 1º Quia conducit ad venialia peccata, quæ tam graviter puniuntur, æstimanda et fugienda. 2º Quia excitat ad satisfactionem in hac vita per opera bona, et indulgentias præstandam. 3º Quia incitat ad misericordiam purgantibus animabus exhibendam, ut similem aliquando misericordiam experiri mereamur. Vide tit. Purgatorium.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quod etiam memoria inferni tam a justis, quam a peccatoribus frequenter ob tres causas sit refrendenda. 1º Quia conducit ad peccata mortalia, quibus ea pena decreta est, odio habenda et fugienda, ut dicamus: Non amo tanti poenitere. 2º Ut omnes hujus mundi miserias facilius toleremus, si cum S. Francisco Borgia ad mentem reducamus, quid in

inferno ob peccata sustinere debuissimus. 3º Ut zelum ad succurrendum peccatoribus concipiamus, et ne ipsi veniant in locum horum tormentorum, cum divite Epulone solliciti simus. Vide tit. Infernus.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod præsertim memoria beatitudinis æternæ assiduo sit recogitanda ob tres pariter causas. 1º Quia conducit ad fervorem in bonis operibus frequentandis excitandum. 2º Quia conducit ad tribulationes fortiter, et cum gaudio sustinendas, dum credimus, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 3º Quia conducit ad fastidium rerum temporalium ingenerandum, ut cum Sancto Ignatio dicamus: « O quam sordet mihi terra, cum celum aspicio, et considero. » Vide tit. Beatitudo.

XII. Ex occasione thematis: *Expediit vobis ut ego vadam*, ostendi potest, quam expediens sit, ut Deus quandoque a nobis discedat, et in varias tribulationes, desolationes, tentationes, imo et peccata cadere permittat. 1º Ut ad ipsum in tribulationibus, et tentationibus recurrere studeamus, juxta illud Psalmi: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. 2º Ut in desolationibus eum pure querere, cique propriis expensis servire discamus. 3º Ut propter lapsum in peccata humiliemur, et cautiores fiamus. Vide Fabrum conc. ix. lit. C.

PRO DOMINICA V. POST PASCHA.

I. *Petite et accipietis.* Jo. xvi. Potest ostendi, cur frequenter et ferventer sit orandum, nempe ob ingentes utilitates orationis, quas vide tit. Oratio.

II. Ex eodem themate potest ostendi, artem orandi esse questuosissimam, et facilitam, sicut artem mendicandi: ob quam mendicus quidam omnibus liberis pedes, et crura fregisse scribitur, ut mendicare cogentur. Demonstratur ergo, quomodo tempore orationis ut mendicos gerere se debeant. 1º Agnoscendo, et monstrando suam infirmitatem. 2º Ferventer orando, et clamando. 3º Non desistendo, etiamsi non statim detur. 4º Non indignando, licet omnino non detur. Vide tit. Oratio.

III. *Si quis petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jo. xvi. Ostendatur, quid

sit in nomine Christi petere, nimirum 1º propter voluntatem ejus, et mandatum petere, quia toties hortatus est ad orationem. 2º Per ipsius merita petere, sicut Ecclesia facit, claudens orationes per verba: Per Christum Dominum. 3º Orationes suas cum orationibus Christi jungere, sicut malum nummum cum annulo bonorum. 4º Ad exemplum Christi petere, maxime in horto Oliveti orantis. Vide tit. Oratio.

IV. *Usque modo non petistis quidquam.* Jo. xvi. Potest ostendi, multis, etsi saepe orarint, tamen dici posse: Usque modo non petistis quidquam. Hinc merito tales audire increpationem S. Jacobi c. iv. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis. Ostendatur ergo, quomodo rite, et efficaciter orare debeant; de quo vide tit. cit.

V. *Petite, et accipietis.* Jo. xvi. Possunt enarrari utiliter, et efficaciter refutari tentationes, per quas Diabolus homines retrahit ab oratione; quas vide tit. cit.

VI. Ex eodem themate potest oratio sagittæ illi, de qua iv Reg. i. dicitur: *Jace sagittam, sagittam salutis Domini*, comparari et tum utilitas, tum proprietas, tum praxis orationis demonstrari, uti videre est cit. tit.

VII. Ex occasione thematis: *Petite, et accipietis*: potest necessitas orationis demonstrari ex quatuor causis. 1º Ex voluntate Dei, qui rogari vult, ut dona accipienda mereamur; eaque cum majori solatio accipiamus, simulque Deo magis familiares efficiamur. 2º Ex indigentia nostra tam quoad corporis, quam animi necessitates. 3º Ex frequentibus peccatis, quorum veniam impetrare cogimur. 4º Ex impugnatione Dæmonis, contra quam assiduo Dei presidio indigemus. Vide tit. Oratio et Fabrum conc. 4.

VIII. Ex eodem themate potest jucunditas orationis demonstrari ex variis titulis. 1º Quia *Mendici* sumus; quid autem jucundius mendico, quam mendicare posse a tali Domino, qui liberalem stipem certo porrigat? 2º Quia *Rei* sumus, et ad graves poenas purgatorii vel inferni damnati; quid autem jucundius reo, quam cum Judice loqui, et veniam impetrare posse? 3º Quia *Discipuli* sumus; quid autem jucundius discipulo, quam a sapientissimo Magistro in saluberrima scientia instrui posse? 4º Quia *Sponsæ* Dei sunt anime nostræ; quid autem jucundius sponse, quam cum amatissimo sponso colloqui posse? Vide tit. Oratio.

IX. Ex eodem themate potest utilitas

orationis demonstrari, probando veritatem sententiæ a S. Augustino prolatae: « Recte novit vivere qui recte novit orare. » Nam 1º Utilis est ad peccata vitanda, quia, teste S. Chrysostomo, impossibile est, hominem orationis studiosum (saltem graviter) peccare. 2º Utilis est ad virtutes plantandas; uti Christus S. Catharine indicavit, dicens: « Noveris, filia charissima, quod in oratione humilis, continua, et fidei cum perseverantia lucratur anima perfectionem, et omnem virtutem. » 3º Quia per orationem gustat anima, quam suavis sit Deus; atque adeo gustato spiritu desipit omnis caro. Vide cit. tit.

X. Ex eodem themate possunt circumstantiæ orationem efficacem facientes explicari. Videlicet 1º Reverentia interior, et exterior. 2º Fiducia firma. 3º Perseverantia. De quibus vide nos, item Fabrum conc. 5.

XI. Ex eodem themate possunt cause, et remedia distractionum proponi. Videlicet 1º Culpa mordens. 2º Cura pungens. 3º Affectus vigens. 4º Tribulatio erucians; de quibus vide nos l. c.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo occurrere possit tentationibus circa orationem occurrentibus; quarum prima est consolatio defectus. 2º Defectus attentionis. 3º Defectus temporis ad orandum. 4º Defectus exauditionis; pro quibus remedia vide in tit. Oratio §. 41. n. 6.

PRO FERIIS ROGATIONUM.

I. Ex occasione thematis: *Quis habet amicum, et ibit ad illum?* Ltc. n. ostendi potest, quomodo processiones pie, et fructuose sint instituendæ, videlicet ad exemplum trium Regum in Bethlehem peregrinantium, quia 1º Bonam intentionem Christum querendi habuerunt. 2º Stellam ducentem secuti sunt, et devote Christum adorant, quod et peregrinantes facere debent, non discedendo a vexillo, et in templo preces devote persolvendo. 3º Munera obtulerunt, quos imitari debent peregrinantes, thus devotæ orationis, myrrham contritionis vel confessionis, aurum charitatis offerendo. 4º Per aliam viam reversi sunt in regionem suam; peregrinantes autem per sinceram vitæ emendationem. Vide Instruct. 7.

II. Ex eodem themate ostendi potest, tunc

similes processiones fructuose institutum iri, si procedant terribiles, sicut castrorum acies ordinata. Et 1^o quidem omnes sani sint, non tam quoad corpus, quam animam. 2^o Si non tantum plebei, sed etiam primariæ personæ velut Duces compareant. 3^o Si bonum ordinem servent, ut in exercitu fieri solet. 4^o Si bene conjuncti, et concordēs sint. 5^o Si armis spiritualibus, puta Rosariis, et libellis precatoriis, bene sint instructi. 6^o Si non discedant a fine Processionis, et gratias persolutas ob felicem successum. Quæ omnia fusiis explicata videri possunt in cit. Instruct. 7.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quod in processione oratio sit Deo gratior, et efficacior ob tres causas. 1^o Quia per illum Sanctum, ad cuius honorem processio instituitur, Deo offertur. 2^o Quia plures simul orant; multi autem minimi, teste S. Ambrosio, dum congregantur unanimes, sunt magni, et multorum preces impossibile est non audiri. 3^o Quia oratio humiliantis se (id quod peregrinantes pedibus incedentes faciunt) penetrat nubes, et donec propinquat, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Vide cit. Instr. n. 6.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, unde natum sit proverbium, quo dicitur: *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur*. Nimirum ex defectu vere intentionis: Quia 1^o aliqui comitantur processionem, ut locum, ad quem tendunt, ejusque thesaurum, vel alia visu ibidem digna videant, mala curiositas est. 2^o Alii, ut cognatos, et amicos visitare queant, [et inanis vanitas est. 3^o Alii, ut comedere, et bibere, vel alia commoda temporalia participare possint, et turpis questus est. Melius ergo 4^o alii eunt, ut ædificent, et bonum exemplum aliis præbeant, et prudentia est. Et tandem optime alii 5^o eunt, ut ædificentur, id est, vel gratias pro accepto beneficio referant, vel varias gratias sibi aliusque impetrent, et hoc charitas est, factique, ut tales peregrinantes vere sanctificentur. Vide cit. Instr.

V. Ex eodem themate proponi possunt, et refutari excusationes frivæ, propter quas aliqui se processionibus subducere conantur, quarum prima est respectus humanus. Quid dicent homines? Secunda timor damni in bonis temporalibus aut lucro cessante patendi. Tertia horror molestiæ per peregrinationem subeunda, cum tamen Deus et Sancti ubique

quæri et invocari queant; quas excusationes vide refutatas in cit. Instr. 2.

VI. Ex occasione thematis: *Pulsate et aperietur vobis*: declarari possunt causæ, cur Deus non statim, aut omnino non audiat preces. Nempè 1^o Quia male petitur, hinc S. Jacobus dixit: *Petitiss, etc.* 2^o Quia sæpe non exaudit ad votum, ut exaudit ad salutem: sicut medicus cum egrotò, aut mater cum filio noxia petente facit. 3^o Quia differt sua dona, non aufert, ut ardentius petamus, magisque æstimemus, si difficilius fuerint obtentu, nam cito obtenta vilescunt, diu desiderata dulcius obtinentur, teste S. Augustino. 4^o Quia opponunt nubem peccati. Vide tit. Oratio, Item Fabrum conc. 4.

PRO FESTO ASCENSIONIS.

I. Ex occasione thematis: *Assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei*. Marci ult. possunt proponi causæ, ob quas Christus in caelum assumptus sit, nimirum 1^o Ob gloriam Patris, quæ non modica illi orta est ob Filium tantopere exaltatum. 2^o Ob gloriam ipsius Christi, quam tot tantisque meritis comparavit. 3^o Ob gloriam nostram, pro qua nobis obtenat caelum reservavit. Vide Fabr. conc. 3.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quod, sicut Reges ob devictum hostem capitalem magno gaudio excoipiunt, et in signum gratulationis varia illis spectacula exhibentur, ita ad ipsum tanto æquius erga Christum præstandum sit, quanto et a graviore hoste liberavit, majorem felicitatem procuravit. 1^o Itaque ignes missiles variorum affectuum, puta fidei, spei, charitatis, gratulationis, gaudii, etc. jaciendi. 2^o Comœdia exhibenda, in qua gloria Christi per imitationem representetur. 3^o Certamen contra seipsum per generosam sui viciorem insitendum.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quod, sicut Christus virtute propria ascendit ad caelum; ita quisvis Christianus pariter virtute propria, maxime per humilitatem, obedientiam, et patientiam, ejusque exaltatio humilitatis ascendere debeat; de quibus vide eodem titulos.

IV. Ex eodem themate potest specialiter magnitudo gloriæ Christi, ejusdem describi, juxta illud S. ad Pauli Ephes. c. iv. Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit.

Unde explicetur 1^o Humilitas illius per gradus. 2^o Ostendatur, quod competens tantæ descensionis ascensio responderit. De quo vide tit. Humilitas.

V. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, quod inter alias causas, cur Christus in caelum ascenderit, etiam fuerit, ut esset advocatus noster, juxta illud i. Jo. ii. Sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Unde excitentur Auditores ad fiduciam in eo ponendo, 1^o Quia potest a Patre omnia impetrare ratione meritorum suorum. 2^o Quia vult impetrare ratione fraternitatis, quam nobiscum participare dignatus est. 3^o Quia scit causam nostram agere, ratione infinitæ sapientiæ suæ; ut adeo nihil desit, quod ad Advocatum undoque absolutum requiri posse videatur. Vide Fabrum conc. 3. lit. E.

VI. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo non obstante Ascensione dixerit Christus: *Ece ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Nimirum 1^o manet per realem existentiam in Eucharistia. 2^o Per cooperationem in operibus nostris, ut ipse insinuavit dicens: *Sine me nihil potestis facere*. 3^o Per protectionem, teste S. Cypriano dicente: *Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis*. 4^o Per patrocinium, ut dictum est in priori numero.

PRO DOMINICA VI. POST PASCHA.

I. *Et vos testimonium perhibebitis*. JOAN. xv. Ostendi potest, quomodo quisvis Christianus testimonium de Christo exhibere debeat, 1^o corde, credendo firmiter, quæcumque ab ipso per se vel per Ecclesiam revelata sunt. 2^o ore, doctrinam ipsius profitendo et publicando. 3^o opere, vitam ipsius et mores omni studio imitando, præsertim multa cum ipso patiundo, et martyrium spirituale subeundo; nam, ut S. Gregorius hom. xv. in Evangelia recte dixit, sine ferro et sanguine Martyres esse possumus, si patientiam veraciter custodimus. Vide plura de hoc tit. Fides, et tit. Patientia.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. JOAN. xvi. Potest ostendi, quid sit scandalum activum, et quam gravia per illud damna Deo, proximo, et sibi ipsis creet is, qui alios scandalizat. Vide tit. Exemplum V. Exemplum malum. Item Fabrum hic conc. 3.

III. Ex eodem themate suaderi potest Auditoribus, ut scandalum passivum fugiant et 1^o Ostendi quomodo committatur, et quam stulte agant, qui ex alieno peccato aut facto bono, arenarum more, venenum sugunt, et conficiunt, id est, occasionem peccandi accipiunt. 2^o Ostendatur, quam vane et stulte se excusent, dicentes; alterum causam et occasionem fuisse peccati, cum occasio hominem fragilen non faciat, sed qualis, quisque sit, ostendat, nec quisquam nisi a seipso ledatur. 3^o Unum vel alterum medium ostendatur, quo scandala talia vitari possint; de quibus vide tit. Judicium temerarium, et Thomas Kemp. l. II. c. xxiv.

IV. *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*. Ostendi potest, quam verum sit illud S. Pauli ii. Tim. m. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur; id enim experientia in Christo Apostolis, et aliis Sanctis testatur, et confirmant SS. Patres, quorum testimonia vide tit. Patientia, et ratio ipsa dicat, quia sicut similitudo amorem, ita dissimilitudo odium parit; hinc impii Sap. ii. dixerunt: *Circumveniamus justum, etc.* gravis est nobis, etc. abstinere se, etc. hinc et invidia accedit: *Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis*. 4^o Per patrocinium, ut dictum est in priori numero.

V. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mitavi vobis a Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me*. Jo. xv. Ostendi potest 1^o Quantopere Spiritus veritatis sit necessarius, utpote qui hodie nec in aulis, nec in tribunalibus, nec in cathedris, nec in tabernis, nec in privatè domibus reperitur, id quod in specie magis per inductionem probari potest. 2^o Ostendatur, quomodo iste Spiritus veritatis iterum obtineri et reduci queat, si scilicet ipsum a Christo frequenter et serio petamus; hic enim locum habebit illud Luc. ii. Si ergo vos, cum sitis mali, etc. Vide tit. Veritas.

VI. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cur Spiritus veritatis vix ubique reperitur, quia scilicet quo Spiritus contrarius illi

in plerisque locis dominantur, scilicet spiritus concupiscentiæ et timoris, id quod per inductionem facile probari potest. Ostendatur ergo, quomodo hunc duplicem spiritum expellere debeant, solum Deum querendo, fumendo et amando: sic enim dicent: Quid mihi est in celo. Ps. LXXXI. , et, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Vide cit. tit. et tit. Concupiscentia.

VII. Ex occasione thematis: *Et vos testimonium perhibebitis de me.* JOAN. XV. ostendi potest, quomodo quis Christianus testimonium de Christo perhibere debeat, scilicet quatuor modis, quibus communiter testimonium ferre solemus, nempe 1º Viva voce, cum occasio se offert. 2º Duorum digitorum erectione, scilicet faciendo bonum et cavendo malum. 3º Sigilli impressione, extraordinaria quedam pietatis opera prestando. 4º Suscriptione, id est manu et opere contestando, se esse verum Christianum, Christie imitatorum et discipulum. Vide Fabrum conc. 45.

VIII. Ex occasione thematis: *Hec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* possunt tres præcipue occasiones proponi, in quibus frequenter homines scandalizari solent. 1º In Clericis. 2º In Religiosis. 3º In Superioribus; docetur proin modus ejusmodi scandala vitandi, quem Faber tradit conc. 4. lit. C et D.

IX. Ex occasione thematis: *Ille (spiritus veritatis) testimonium perhibebit de me:* ostendi potest, cum spiritus veritatis tam exosus sit hominibus, nimirum 4º Quia adversatur sensui impiorum. 2º Quia eorum mores redarguit. 3º Quia invictus est. De quibus vide Fabrum conc. 5. lit. F G H.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quæ testimonium exhibeat spiritus veritatis de nostra fide, nimirum 1º Consensum SS. Patrum. 2º Constantiam Martyrum. 3º Multitudinem miraculorum. 4º Sanctitatem Fidei recta ad finem hominis ultimum assequendum perducentem; de quibus vide tit. Fides. Item Fabr. conc. 7.

XI. Ex eodem themate dici potest, Pilatum quidem olim quesivisse, quid est veritas? sed hodie magis queri posse, ubi est nam? 1º in cogitationibus pauci sunt, qui res apprehendant, ut apprehendende sunt. 2º In verbis quoque pauci sunt, qui saltem potentioribus veritatem dicere audeant. 3º In factis, quia pauci sunt, qui opera sua possessioni conformia producant. Vide tit. Mendacium.

XII. Ex occasione thematis: *Cum venerit*

Paracletus, quem ego mittam vobis, ostendi potest, quomodo se quis Christianus ad Spiritus Sancti adventum preparare debeat, scilicet 1º secedendo, præquam fieri potest, a turbis. 2º Orationi vacando. 3º Concordiam servando. 4º Cum Virginea Matre preces jungendo. Vide tit. Spiritus Sanctus, et Fabrum conc. 2. in Festo Pentec.

PRO DOMINICA PENTECOSTES.

I. *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* ACROA. n. Potest ostendi exemplo Apostolorum, quæ dispositiones ad Spiritum Sanctum digne recipiendum adhiberi debeant, nimirum 1º ingens desiderium indicatum per verbum: *expectabant:* nam hoc desiderium sicut et saccus noster est ad dona Dei accipienda, ut Sanctus Augustinus tract. 4. in epist. Joan. ait. 2º *Concordia:* erant enim omnes pariter in eodem loco; et multitudinis erat cor unum, et anima una. Hinc Eccl. xxv. *interea, in quibus placitum est Spiritui Dei, concordia Fratrum primo loco ponitur:* sicut enim anima non vivificat, nisi membra sint unita; ita nec Spiritus Sanctus communicat effectus suos, nisi membris per concordiam unitis. 3º *Oratio constans:* erant enim perseverantes in oratione: quam dispositionem Christus ipse Luc. ii. requisivit, dicens: *Petite, et dabitur vobis;* si enim vos, cum sitis mali, etc. hinc David Psalm. cxviii. *os meum aperui et attraxit Spiritum.* 4º B. Virginis intercessio: erant enim orantes cum Maria Mater Jesu: etenim fas est, ut avertam faciem tuam. 5º Reg. cap. ii. ita Christus Matri, de qua rectius dicitur: *Neque enim negare tibi quidquam poterit.* Vide tit. Spiritus Sanctus.

II. *Veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* JOAN. XIV. Potest Spiritus Sanctus animæ hominis comparari, et 4º ostendi quomodo vegetativæ animæ operationes in Apostolis exercuerit, faciendo ut crescerent in virtutibus. 2º sensitivæ, faciendo, ut viderent, audirent, olfacerent (exempla et virtutes Christi intuerentur, et imitarentur) gustarent (seu apprehenderent objecta cælestia). 3º Intellectivæ, faciendo, ut recte intelligerent, et efficaciter vellent que ad suam et aliorum salutem pertinerent. Inferantur subinde, quantopere homo sollicitus

esse debeat, ne per peccatum hanc animam amittat, cum nihil non agere et vitare soleant homines, ne animam suam corpori unitam separent. Vide tit. cit. Sanctus.

III. *Tamquam ignis sedit supra singulis eorum.* ACROA. n. Possunt effectus Spiritus Sancti per similitudinem ignis explicari, et 1º ostendi, quod sicut ignis exsiccat, tollendo omnem humorem concupiscentiæ male; cum enim sit charitas divina, nullum alium amorem admittit. Hinc Sancta Teresia cum amorem inordinatum erga sororem quamdam nullis mediis expugnare posset, suadente Confessario, quotidie Spiritum Sanctum invocavit, et mox obtinuit quod voluit. 2º Quod sicut ignis illuminet; hinc Christus JOAN. XIV. Paracletus autem Spiritus, etc. ille vos docebit omnia. 3º Quod calefaciat amore divino; hinc Apostoli: *Quis nos separabit etc.* ROX. VII. *Aque multe (tribulationum) non poterunt extinguere charitatem.* Inferatur deinde, quam ferventer debeant hunc ignem petere dicentes: *Veni Sancte Spiritus;* reple, etc. maxime cum ipse Christus dixerit: *ignem veni mittere, etc.* Luc. XII.

IV. *Loquebantur variis linguis magna lingua Dei.* ACROA. n. Potest dici, quod Spiritus Sanctus advenerit tamquam Magister linguarum, et docerit Apostolos variis loqui linguis magna lingua Dei, et 4º *Hebræam* vel sanctam dum non nisi de Deo et pertinentibus ad eum locuti sunt. 2º *Latinam, seu Romanam,* dum doctrinas Fidei conformes tradiderunt. 3º *Græcam,* dum fraudes et hæreses Hæreticorum refutarunt. 4º *Hispanicam,* dum omnes levitates in lingua fugerunt. 5º *Gallicam,* dum suaviter et amice loqui didicerunt. 6º *Germanicam* sinceram, dum omne mendacium fugientes, non nisi veritatem verbis et factis prodiderunt. Vide tit. citat. Spiritus Sanctus et tit. Lingua.

V. *Et apparuerunt dispersite lingua.* ACROA. n. Ostendi potest, quod Spiritus Sanctus ideo in forma linguae apparuerit, ut doceret artem loquendi omnium difficillimam. Demonstretur ergo 1º in quo consistat ars recte loquendi; de qua vide præcepta tit. Lingua. Deinde ostendatur, quomodo Spiritus Sanctus hanc artem Apostolos docuerit. Vide cit. tit. Spiritus Sanctus.

VI. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, suggeret vobis omnia.* JOAN. XIV. Potest ostendi, quam convenienter Spiritus Sanctus Paracletus, id est

Consolator vocetur, nempe quia replet amore divino, sicut facit obtinere finem suum, quæ est vera, maxima, et perpetua consolatio, quæ proin tres proprietates fusius demonstretur, simulque ostendatur, quomodo hanc consolationem Spiritus Sanctus Apostolis communicavit. Vide tit. citat. Spiritus Sanctus, et tit. Gaudium, et Consolatio.

VII. Ex occasione thematis: *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* JOAN. cap. XIV. possunt ostendi consæ, cur Spiritus Sanctus in mundum missus sit, nimirum ut esset Magister mundi. Unde ostendatur, quam perfecte omnes veri magistri proprietates possideat, videlicet 1º Quod scientiam et artem omnium præstantissime calleat, cum sit ipse Amor Patris et Filii. 2º Quod habeat facillimum modum docendi, cum unico momento doctissimos in hac arte efficiat, uti in Apostolis patuit. 3º Quod sit sanctissimus quoad mores, ita ut nullum sit perversionis periculum, unde Spiritus Sanctus per Antiochiam vocatur. 4º Quod sit benignissimus, atque adeo *velit* etiam hanc artem docere. Unde excitandi sunt Auditores, ut se illius discipline totos committant, et lectionem ab eo præscriptam diligenter addiscere studeant. Vide tit. Spiritus Sanctus.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, in quo constat scientia seu ars amandi, quam Spiritus Sanctus docet, scilicet in tribus præceptis a S. Davide PSALM. XXXIII. indicatis, quorum primum est: *Declina a malo:* nam proprium est amantium fugere, quicquid amato displicet. Et hoc præceptum ad viam purgativam spectat. Secundum est: *Fac bonum,* sui virtutes exerce: nam proprium etiam amantium est facere semper, quod amato placet; et hoc præceptum ad viam illuminativam pertinet. Tertium est: *Inquire pacem:* seu perfectissimam voluntatis tue cum divina conformitatem: nam proprium amantium est unum fieri; et hoc viam unitivam spectat. Vide cit. tit.

IX. Ex eodem themate explicari possunt conditiones ad verum Spiritus Sancti Discipulum pertinentes, quorum prima est *magna æstimatio magistri,* nam primus discendi ardor est nobilitas magistri. Secunda conditio est vehemens desiderium artis addiscenda, quod ex considerata illius præstantia et utilitate concipitur. Tertia est indefessa industria in ejus doctrinis seu inspirationibus accipiendis. Quarta constans exercitium in

iisdem doctrinis practicandis, et executioni mandandis.

X. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo advenientem talem hospitem excipere debeamus, nimirum 1° Vehementer desiderando, ad quod præstantia tanti hospitis considerata non modice juvabit. 2° Humiliter invitando, cum Ecclesia, assiduo hoc tempore dicente: Veni S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium. 3° Cum summa reverentia excipiendo. 4° Totam dispositionem domus sui cordis ei commitendo. 5° Omne, quod ei displicet, forlitter removendo.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum Spiritus Sanctus sit amor divinus, nullum corrivalem patiatur, atque adeo omnis amor alius prius expelli debeat, præsertim lascivus, sensualis, proprius; qui proin explicari debet, simulque demonstrari, quod omnia bona, quæ ab his percipi queant, ab illo infinitis melius sperari queant. Vide tit. Charitas.

XII. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, quod Spiritus Sanctus præter alias artes etiam artem recte loquendi doceat; unde de hac arte per hos tres dies tria docenda sunt, in quo consistat hæc ars, quare studiosè discenda, et quibus mediis. Hodie ergo dicatur, artem hanc in tribus consistere, videlicet ut 1° Rare. 2° Considerate. 3° Charitative loquamur; de quibus vide tit. Lingua.

PRO FERIA II. PENTECOSTES.

I. Sic Deus dilexit mundum, Jo. iii. Potest ostendi, quomodo dilexit Deus mundum, ut non solum Unigenitum suum, sed etiam Spiritum Sanctum velut amorem suum infinitum et divinum daret. Declaratur ergo hujus amoris magnitudo ex donorum præstantia, et inferatur, quam æquum sit, ut vicissim nostrum amorem Deo offeramus, omnemque alium amorem excludamus. Vide tit. Charitas, et tit. Spiritus Sanctus.

II. Ex eodem themate potest ostendi, cur tam pauci homines Spiritum Sanctum, qui est ipsa Charitas, accipiant nimirum quia dispositionem debitam et summe necessariam non adhibent, nempe amorem inordinatum creaturarum, seu concupiscentiam, certe quam nullum alium amorem patiatur; ostendi per hoc, quod, teste Sancto Bernardo serm. 3. de Ascensione, ipsi Apostoli Spiritus

Sancto repleti non peterant, quia carni Dominica, etsi sanctæ, inhærebant. Comparantur ergo hi amores inter se ex eo, quod Amor divinus seu Spiritus Sanctus, sit honestus, satiativus, perpetuus: amor creaturæ impurus, turpis, vanus; et inferatur, quam iniquum sit, hunc amorem amori divino postponere. Vide tit. Charitas, et tit. Spiritus Sanctus.

III. Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de celo. Jo. i. Potest ostendi, cur Spiritus Sanctus in specie columbæ descenderit, nimirum ut, quemadmodum Ven. Beda Marc. iii. dixit, ostenderet, se homines magis ad mansuetudinem, quam iracundiam, incitare. Ostendatur ergo 1° Quantopere mansuetudo ista Christianis sit necessaria. 2° Quomodo eam Spiritus Sanctus Apostolos docerit, et hodie adhuc paratus sit docere omnes Christianos. Vide tit. Mansuetudo, et tit. Spiritus Sanctus.

IV. Ex eodem themate potest alia causa afferri, cur Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuerit, nimirum ut ostenderet, quemadmodum columbæ sunt fertiles valde, ita se quoque liberalem esse in donis suis communicandis. Ostendatur ergo 1° Quæ sint illa dona. 2° Quam necessaria et utilia sint homini Christiano, quamque adeo assidue illa a Sancto Spiritu petere debeat. Vide tit. Spiritus Sanctus, et Fabrum hic conc. 3.

V. Alii autem dicebant irridentes: quia musto pleni sunt isti. Act. ii. Potest ostendi effectus amoris divini ex comparatione cum musto. 1° Quia ut mustum plene satiat et inebriat ut nullam amplius delectationem ex creaturis haurire velit. 2° Ut mustum dulcedine sua mire recreat, et lætificat. 3° Ut mustum audaces facit et intrepidos, ut in Apostolis cernere erat. 4° Ut mustum loquaces facit, sic etiam Apostoli loquebantur magna illa, ita ut verum fuerit dicere: Ex abundantia cordis loquitur. Vide tit. Spiritus Sanctus et tit. Charitas.

VI. Et factus est repente de celo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis. Act. ii. Potest ostendi, quod Spiritus Sanctus in modum venti advenit, ut ostenderet, se vento similes effectus operari, et 1° Insuperato advenire; quia Spiritus, ubi vult, spirat. 2° Vehementer impellere ad bonum; nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, teste Sancto Ambrosio. 3° Æstum concupiscentiæ plurimum temperare; quæ

omnia ex dicto tit. Spiritus Sanctus facile dilatari possunt.

VII. Ex occasione thematis: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Jo. c. iii. Ostendi potest dilectio Dei ergo homines triplici ex capite. 1° Considerando, quibus dederit. 2° Quem dederit. 3° Pro quo dederit. 4° Quem ob finem dederit. 5° Qua conditione dederit. Vide Fabr. conc. 5.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Apostoli vicissim dilexerint Deum, quod explicari potest per illa verba: Musto pleni sunt. 1° Quia quasi emotæ mentis homines nihil de terrenis rebus senserunt. 2° Quia ut ebrii pocula et vinum, ita illi solum Deum eructabant, loquentes magnalia Dei. 3° Quia audaces et intrepidos faciebat ut ebrii esse solent. 4° Quia ut ebrii inflammabantur, sed non nisi divino amore. 5° Quia ut ebrii discurrebant per mundum provocantes ad amorem. 6° Quia letos et hilares faciebat ut ebrios. Vide Fabr. conc. 6.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo verificatum sit illud Epi. iv. Ascendens in altum dedit dona hominibus, simulque declarat, quam pretiosum sit donum Spiritus Sanctus, sive 1° In seipso spectetur, nam ut sic infinitæ bonitatis et dignitatis est. Sive 2° Ratione dantis, quia ut sic ex infinito amore et liberalitate procedit. Sive 3° Ex parte accipientis ponderetur, quia sic mundo ingratisimo et immerito collatum est. Sive 4° Ex parte fructificationis spectetur, quia ut sic quasi infinitum fructum producit. Vide eod. tit. et Fabr. in conc.

X. Ex occasione ejusdem thematis possunt explicari causæ, cur Spiritus Sanctus in specie ignis, venti, columbæ, nubis, lingue igneæ apparuerit, et ex quavis specie salutaris doctrina erui et commendari. Vide tit. Spiritus Sanctus.

XI. Ex eodem themate potest imprimis explicari, quid sit donum Spiritus Sancti in genere, videlicet impulsus ad patranda heroica virtutum opera. Deinde possunt ex septem talibus donis priora tria explicari, videlicet tit. Donum Sapientiæ, quo contemplamur divina et æterna, et secundum illa de rebus judicamus ex fide et Scripturis sacris. 2° Donum Scientiæ, quæ versatur circa res creatas et docet nos ferro iudicium de rebus agendis, modum recte utendi mediis ad salutem, aperit fraudes Dæmonis, mundi, et carnis, fuggerens veritatem ad vincendas illas. 3° Donum Intellectus, quo discentimus Scriptura-

rum difficultates et modos, sensus litterales et mysticos, figuras et tropos, indeque salutaria documenta capimus, discutimus etiam fidei controversias, conscientie scrupulos et laqueos tollimus, et causas litigantium difficiles dijudicamus. Vide Fabr. conc. 4. lit. B C D.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quanta damna per linguam male usurpatam Deo, Christo, proximo, nostræ personæ, et rebus nostri inferantur, quamque adeo indigemus auxilio Spiritus Sancti, qui doceat nos artem loquendi. Vide tit. cit.

PRO FERIA III. PENTECOSTES.

I. Ex occasione thematis: Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Jo. x. Potest imprimis ostendi, quæ sit vita illa, propter quam Christus venit, scilicet vita æterna, quæ sola, quia caret omnibus miseris, et mortis non est obnoxia, vera vita dici potest. Deinde ostendi potest, quomodo suo exemplo docerit, quomodo abundantius participari possit hæc vita, scilicet per humilitatem, obedientiam, patientiam, et similes virtutes.

II. Ex occasione ejusdem ostendi potest, quomodo vita in hoc seculo et statu via consistat in charitate Dei, proximi, et sui ipsius ordinata, et quomodo Christus hanc triplicem charitatem velut ignem in nobis accendat. De quo Vide Bibl. tit. Spiritus Sanctus.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo vitam prædictam animæ conservare possimus, nimirum. 1° Per respirationem, id est, mentis ad Deum frequentem elevationem, seu orationem. 2° Per cibum varium, puta verbi divini, Eucharistiæ, voluntatis divinæ, seu mandatorum Dei. 3° Per potum aque salientis in vite æternæ, seu gratiæ divinæ, conservationem, vel etiam sanguinis Christi, ex frequenti Sacramentorum usu hausti. 4° Per somnum seu animi quietem, dum certis temporibus anima a curis, et negotiis secularibus avocatur, et rebus divinis applicata quiescere finitur.

IV. Ex occasione thematis: Ego sum ostium: ostendi potest, quotupliciter Christus sit ostium, nimirum 1° Ostium Pastoralis officii, quia hoc nemo nisi potestatem ab ipso acceptam habere potest. 2° Ostium Ecclesiæ, quia in hanc nemo, nisi per Christi fidem, et baptismum ingreditur. 3° Ostium gratiæ,